Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 743
Quelle:
Copyright:

CCCXLV.

R. 3097 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 169. f. min. per duas columnas probe ſcriptus, rubricis illuſtratus et prius *Monaſterii Sancte Dorothee in Wienna* ſequentia complexus eſt: I. *Incipit expoſitio ſuper libros de ciuitate Dei beati auguſtini ſecundum fratrem Thomam* (Walleys) *et fratrem nicolaum triuehti de anglia.* Initium Prologi eſt: *Fluminis impetus letificat* &c. Quod plures adſeruere, duos hoſce D. *Dominici* Sodales junctis operis in *Auguſtinum* commentatos fuiſſe, jure rejiciunt Ordinis Bibliothecarii T. I. p. 562. et 599. nam ipſe *Thomas* in Prologo *cit.* ait: ſe non niſi *expoſitionem quandam ſuper X. libros primos* compoſuiſſe, et *Trivetus* totum opus expoſuit Prologo ejus ſic incipiente: *Glorioſa dicta ſunt de te* &c. Adde, quod hic *Thomae* ſe multo junioris laborem videre vix potuerit. Librariorum igitur negotium fuit, *Thomae*, ubi deſinit, ſubcenturiare *Nicolaum*, ut inde conſurgeret integer Commentarius, cujus rei fidem facit Rubrica noſtra *fol.* 128. p. 2. *Finitur Opus ſecundum fratrem Thomam valeis ordinis predicatorum ſacre pagine profeſſorem. Sequentia ſunt de expoſitione fratris nicolai Triueth Magiſtri in theologia eiusdem ordinis, ne opus imperfectum obmiſſis ſequentium librorum expoſitionibus videretur.* Sit ita, non tamen absque *Triveti* injuria, quem hac ratione *Thomae*, ut ita dicam, Caudatarium fecere, iis, quae in X. Libros priores commentatus eſt, nunquam prelo ſubjectis, licet *Thomas* cum ejus Subplementis typis pluries expreſſus extet.

II. *fol.* 143. p. 2. ſequitur, ut e calce adſumo, *Liber Senece de 4^or virtutibus cardinalibus per manus hainrici.* Initium eſt: *Quatuor virtutum ſpecies multis ſapientium ſententiis diffinite ſunt* &c. Libellus *Martini* Ep. *Braccarenſis*, ut jam non ſemel ſuperiore *Vol.* dictum eſt.

III. *fol.* 143. p. 2. *Incipiunt ſententie Proſperi in libros ſanctiſſimi Auguſtini Epiſcopi et doctoris eximij.* Habentur illae in Edit. *Proſperi Aquit. Pariſ.* 1711. *col.* 543. f. numero CCCXCII. cum nobis alia ſolum diviſione CCCXC. cenſeantur. Ineunt: *Innocentia vera eſt, que nec ſibi nec alteri nocet* &c. et finiunt: *memor autem eris ſi te ipſum reſpexeris.* De *Proſperi* conſilio docet Admonitio Editioni *cit.* praemiſſa.

IV. *fol.* 159. *Caſſiodorus de amicitia vera.* Init: *Quoniam diminute ſunt veritates a filijs hominum* &c. Deeſt Libellus alter *de Caritate* ſeu *Dilectione Dei* ſaepius huic conjungi ſolitus. De utroque vero ad *Petrum Bleſenſem* transferendo dixi cum hoc, tum *Vol.* I. P. I. *col.* 929. Ad calcem hic: *Explicit a Hainrico*, nempe Librario.

CCCXLVI.